11

VOLENTE SUMMO NUMINE!
EX
AUTORITATE & DECRETO
GRATIOSISS. FACULTATIS MEDICÆ
IN ILLUSTRI HAC ELECTORALI VIADRINA

DELIRIUM
EX
VENTRICULO

SUB PRÆSIDIO
RECTORIS UNIVERSITATIS
MAGNIFICI
DN. IRENÆI VEHR,
MED. DOCT. & PROF. PUBL. ORDINARII, FACULTATIS SUÆ SENIORIS & p. t. DECANI SPECTABILIS,
DN. PATRONI & PROMOTORIS SUMME COLENDI,

Diſputatione Inaugurali
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,
Publicæ Eruditorum Ventilationi ſiſtitur
ab

ADOLPHO FRIED. GERRESHEIMIO,
SVEVO-COLONIENSI,
D. V. DECEMBR. ANNO M.DC.LXXXII. H. L. Q. C.

Francofurti ad Oderam
Ex Officinâ Typographicâ JOH. COEPSELII, Acad. Typ.

DEO
OPT. MAXIMO
CREATORI
&
SOSPITATORI
MEO
S.

PRÆFAMEN.

VEntriculum, notiſſimam Oeconomiæ animalis Partem, qvotqvot hanc ſcriptis expoſuêre, variis hactenus Titulis & Epithetis donaverunt. Atq; alii qvidem Ollam *Corporis, alii* Coqvum, *alii* Promum Condum, *alii aliis, qvæ miniſtris fere rerum familiarium & publicarum dari conſveverunt, vocaminibus illum vocarunt. At Q. Serenus c. 17. non contentus eum à ſervili conditione vindicare ad nobiliorem longè ſtatum & Regiam plane poteſtatem, qva cæteras partes tanqvam ſibi ſubditas vel tutetur vel plectat, evexit. Atq; eam in rem*

Qvi ſtomachum (*cecinit*) Regē totius corporis eſſe
Contendunt, vera niti ratione videntur.
Hujus enim validus firmat tenor omnia Membra:
At contra ejusdem franguntur cuncta dolore.
Qvin etiam [niſi cura juvat] vitiare Cerebrum
Fertur & integros illinc avertere ſenſus.

Non ineptè me judice. Profectò enim, uti malè conſtitutis Principum Rebus non benigniorem fortunam experiuntur ſubditi; Ita pereunte ventriculi robore omnem reliqvorum Corporis Membrorum vigorem labaſcere neceſſe eſt. Atq; uti cum Principe, aliàs ſerenum, aliàs nubilum vultum ſumunt ſubjecti; ita cum Ventricu-

lo qvicqvid eſt cæterarum partium, jam læta Sanitate gaudet, jam acerbo dolore affligitur. Neqve palmam hanc Principatus adeò ambiguam illi Cor fecerit, cui communi alioqvi conſenſu, præſertim Peripateticorum, illa tribuitur. Etenim jam dudum eſt, ex quo Ventriculus ſecundum Orificium ſiniſtrum, qvod Vulgi non ſolum couſvetudine, verum etiam à Medicis στόμαχον *appellatum fuiſſe Galenus ſcribit, ab Antiqvitate* καρδία, *congruo Majeſtati ſuæ titulo, inſigniri cœpit, ob graviſſima nimirum ſymptomata, qvæ ejus affectionibus ſupervenire ſolent, ſimilia iis, qvæ verè Cordi accidunt. Adde, qvod in multis morbis hactenus Cor pro Parte affectâ habitum fuerit, qvorum Natales revera deberi Ventriculo recentiorum diligentiâ conſtitit. Cæterum notanter ſupra laudatus Serenus Cerebri morbos & ſenſuum vitia à ventriculo derivat.* Spectatur nempe (*ut* Helmontii *verba ex Tract.* Jus Duumviratus. §. 26, *mea faciam*) major authoritas ſtomachi in Caput, qvá Capitis in ſtomachum. Siqvidem Sopor, Somnus, Vigilia, Deliria & qvæcunqve Symptomata Capiti ſolent tribui, remediis ſtomachicis, non autem Cephalicis mitigantur, abolentur. *Qvæ ſi nimis qvis liberaliter dicta cenſeat, non poterit tamen ille, niſi invitâ veritate, negare magnum Ventriculi cum Cerebro conſenſum; qvodve partes hæ affectiones ſuas ſibi invicem ſatis crebrò communicent. Qvod enim ab* Hippocra-

pocrate Aphor. 50. ſect. 6. *alibiq́ notatum & pluribus Practicorum Obſervationibus confirmatum eſt, plagæ aut vulneri graviori Capitis freqventer Vomitus Bilioſus ſuccedit: Et à ſimili capitis vulnere obortam eſſe vehementem Cardialgiam, teſtis eſt* Joh. Petr. Paſſerus de Vulner. Capit. lethal. c. 3. *Quam in rem nervorum à Cerebro ad os ventriculi pertingentium magnitudinem Phyſiologorum filii adducunt. Sicuti, ob eandem cauſam, è diverſo Ventriculi afflictiones in Cerebrum redundare conſtat tot exemplis hominum, ſtomachi imbecillitate laborantium, atque mox Vertigine, Cephalalgiâ aliisq́ capitis affectibus prehenſorum.* Qvare ſi unqvam [*verba ſunt* in Conſil. 44. apud Scholzium p. 130. *legenda, quæ leviter immutata hic exhibemus*] fuit verum Hippocratis Oraculum, verum tunc certè fuit cum diceret: Ventriculi confuſio omnium Confuſio. *Hujus verò à Ventriculo profectæ, àq́ Facultate animali ſpeciatim perceptæ confuſionis Exemplum memorabile ſeqvens ſuppeditat caſus, quem ex obſervatione* Experientisſimi Dn. D. Auguſti Schäfferi, Sereniſſ. Electoris Brandenburgici apud Magdeburgenſes Milites præſidiarios Medici Ordinarii, per biennium & qvod excurrit ad Praxin Medicam Manuductoris mei honoratisſimi, *habeo.* Nimirum ante aliqvot annos ibidem fuit Ancilla XX. fortê annorum, habitus aliàs ſatis boni: Hæc de-

ſiderio Cucumerum admodum tenebatur, & ut appetentiæ huic inordinatæ conſuleret, veſperi clanculum ſibi præparabat Cucumeres in taleolos inciſos, pauco ſale & aceto additis, hisqve ad nauſeam ſe implebat: Statim poſt horum ingluviem male ſe habebat; altero die qverebatur de ſummo dolore capitis, tertio perfectè delirabat. Vocabatur Medicus. Cauſam inqvirens, dicto modo omnia ſe habere, percipiebat. Statim ordinabat Vomitoriũ, à qvo non tantum Cucumeres crudi & indigeſti magna qvantitate vomitu rejecti, ſed etiam hiſce exturbatis, ſtatim delirare ceſſabat. *Incidit hæc obſervatio mihi commodè, cum Juſſu & Decreto Gratioſisſimæ Facultatis Medicæ, in Almâ hac Electorali Viadrinâ Diſputatio Inauguralis pro ſummo in Arte Gradu habenda mihi injungeretur: Eſtq; digna viſa, quam paulò diligentiùs excuterem, & qua ratione Delirium ex Ventriculo oriri posſit, illam evolvendo, oſtenderem. Quam operam dum nunc aggredior, Faxit precor Divinum Numen ut feliciter ſuccedat!*

Deliri-

§. I.

D*Elirium* & qvæ ejuſdem cum eo originis ac ſignificationis ſunt, *Deliratio*, *Deliramentum*, *Deliritas* (Vox apud NONIUM legenda) *à delirando* dici, facile qvis credat Etymologis; Delirare autem, judicio Criticorum propriè eſt, *à lira recedere.* Et *Lira*, juxta citatum Nonium, *foſſa recta, qvæ contra agros tuendos ducitur & in qvâ uligo terræ decurrit;* Juxta alios *ſulcus eſt.* Ut *delirantes* primitùs dicti ſint ruricolæ, qvi à recto in agris aut inter agros ducto ſulco inter arandum deflexerunt: Poſtmodum verò ampliato vocis uſu omnes à recto recedentes & errantes tum imprimis deſipientes ſeu rectæ rationis uſu deſtitutos & ſpeciatim, juxta ISIDOR. per ætatem mente defectos, *Deliros* vocari obtinuit. Tametſi qvidem hos appellationem hanc accepiſſe à Græco ληρέω, *ineptio*, qvod eſt à λῆρος *nugæ, ineptiæ*, malit MARTINIUS in *Lexic. Etymolog.* inductus ſcripturâ *Gloſſæ Vet.* qvâ *Delerus* ſcribitur. Qvod ſi cui placeat, poterit per me *Delirium* ab eâdem origine arceſſere.

§. II. Ceterùm apud Medicos etſi *Delirii* vocabulum eo ſenſu receptiſſimum ſit, qvo impeditum rectæ rationis uſum notat; diverſimode tamen à diverſis uſurpari, lectio Autorum docet. Qvippe qva conſtat, interdum generaliter *Delirium* dici omnem affectum, qvo imaginatio & per conſeqvens Mens perverti aut depravari ſolet; qvam ſignificationem nonnulli *Deſipientiæ* tribuere malunt: Aliàs vero ſpecialiter, pro certa qvadam

in-

internorum ſenſuum ſuperiorumqve animæ potentiarum depravatione accipi; qvam tamen alii iterum aliter, nec iidem eodem ſemper modo determinant. Qvod ut pateat, miſſis ſuperiorum annorum ſcriptoribus, duorum tantum noſtri ævi Celeberrimorum Virorum *Lindenii & Williſii* verba apponere placet: Ex qvibus cum unâ conſtare poſſit de diverſa ſymptomatum, qvæ ad idem genus, qvod paulo ante adduximus, ſpectant, recenſione, poſſitqve pariter lux inde aliqva affulgere ſeqventibus, tanto magis id mihi licebit opinor. Igitur JOH. ANTONID. van der Linden / *Meletem.* Part. 3. §. 60. *Spiritus* (inqvit) *aliena ſpecie imbutus delirat. Unde & Delirium vocamus notiore cunctis vocabulo. Delirat a. qvi à rectæ rationis qvaſi Lirâ deerrat. Delirii apud me prima genera ſunt Inſania & Amentia. Inſania eſt, ſi febris abeſt. Hujus ſpecies ſunt Melancholia & Mania. Melancholia eſt, ſi triſtis & intra verba eſt. Mania vero, ſi furioſa Inſania eſt. Amentia eſt, ſi febris adeſt. Hujus ſpecies ſunt Phrenitis & Paraphrenitis. Illi febris conjungitur: Hæc febri adjungitur.* Idem verò l. c. §. 107. *Si aboletur,* ſcribit, *Ratiocinatio, Amentia: ſi imminuitur, Fatuitas dicitur. Eſtqve fatuus, qvi res licet intelligat, non judicat. Si depravatur imaginatio, Inſania: Si ratiocinatio, Stultitia dicitur. Eſtq; ſtultus, qvi & parum de rebus & male judicat; Inſanus, qvi ſe deſipere Verbis factisve prodit. Species Inſaniæ ſunt Delirium, Melancholia, Mania, Oenomania, Orgomania, Erotomania, Orcheſtromania, Dæmonomania, Hydrophobia, Lycanthropia.* Delirium *eſt Dementia continua. Melancholia eſt, cum æger, qvamvis adhuc ſapiat, tamen qvasdam vanas imagines accipit. Mania deniqve, ubi mens illis imaginibus addicta eſt, &c.* Sed

THO-

Thomas Willis. de *Animâ Brutorum Part. II. c. X. Cum plures* (ait) *modi ſint, qvibus imaginatio & per Conſeqvens Mens & Voluntas, aliæq; ſuperioris animæ potentiæ perverti aut depravari ſolent, illi omnes communi Desipientiæ vocabulo inſigniuntur. Hæc autem affectio diſtingvitur in Breviorem qvæ Delirium appellatur; ac Longiorem ſeu continuam, qvæ aut febri conjuncta eſt & dicitur Phrenitis, vel ſine febre contingit, eiq; aut Rabies aut Tristitia aut Stupiditas adjungitur proindeq;, in Maniam Melancholium & Μόρωσιν dividitur.* Jam ſi qvis ex me noſſe cupiat, quò ſenſu Delirii vocem ipſe accipiam, Affectumq; in antea exhibitô Caſu expoſitum hóc titulo donare ſuſtineam? Sciat ille, non aliâ ſignificatione me nomine iſthôc uti, quàm quâ brevem levemq; Deſipientiam notat: adeoq; *Willisii* potius quàm *Lindenii* veſtigia hâc in parte terere.

§. III. Non repugnaverim verô, ſi quis pro Delirio παραφροσύνην dicere malit. *Nam*, quod modò laudatus *Williſius* paulo poſt citata verba ſcribit, *Vocabulum Delirii Speciali modo ſumptum, idem eſt, qvod παραφροσύνη, ac denotat ejusmodi facultatis animalis læſionem qvalis in paroxyſmis febrium, Ebrietate & qvandoq; in paſſionibus dictis Hyſtericis exorta, homines ad abſurda inducit.* Siq; noſtræ aliquis nempe Germanicæ Lingvæ Synonyma requiſiverit, non male fortaſſis einen Schwarm oder Phantaſey/ vel, ut inferiores Germani loquuntur, eine Daſeley oder Fameley nuncupari poſſit. Etenim qvod Latini leviter Delirare dicunt, hoc germani vocant Schwermen/ Daſeln / Fameln; Et ſi in verbis tantum aberratio conſiſtit, Irre oder aus den Wege reden: Sicuti Græci ληρῆσαι καὶ παραληρῆσαι, it. παραφρονῆσαι vel μετρίως παραφρονῆσαι

 ἢ πα-

ἢ παρενεχθῆναι. De qvibus vocibus videat, cui volupe eſt, *Föeſium in Oeconomia Hipp:* ſub vocabulo λῆρος. Ubi & τὸ παρακόψαι leget, pro qvo alii παρακόπτειν dicunt & de breviori Delirio pariter uſurpant; Sed non ſatis accuratè, cum graviorem potius Deſipientiam notet, indició citati Autoris; Aliàs verò & propriè ſit *Monetam falſam cudere.*

§. IV. His verò de nomine præmiſſis, ut de naturâ Affectûs propoſiti conſtet exactius, placet paulo fuſius Delirium deſcribere: Quod ſit *imaginationis levior depravatio, qvà fit, ut homines ad breve tempus abſurda cogitent, loquantur aut agant.*

§. V. Ubi Depravationis vox ſymptoma indicat & quidem actionis læſæ. Actionem autem ipſam, qvæ læditur, Imaginationis terminus ſignat. Verba reliqua rationem læſionis qvodammodo determinant. Unde intelligas, Affectum in Caſu præſcripto commemoratum, ex tertio rerum p. n. genere, nempe *Symptomatum*, & quidem *Symptoma actionis*, ejusq; *animalis*; ſpeciatim *ſenſus interni*, ſpecialius *Phantaſiæ læſæ* eſſe. Intelligas ſimul diſſenſum meum ab iis, quibus ipſa ratio in Delirio depravari dicitur; qui quàm ficulneô fundamento nitantur, mox, ubi de Subjecto affecto ſermo erit, diſpaleſcet.

§. VI. Antequam vero ad hujus Evolutionem me convertam, diſpiciendum prius de Morbo, qvem ſymptoma hoc inſtar omnium præſupponit. Siquidem non tam ſymptomatum, quam Morborum, à quibus ipſa, veluti umbra à corpore pendent, ſubjecta dari & inveſtigari debere à Medentibus, notum eſt ex rudimentis Doctrinæ Medicæ. Quâ in re ne prolixus ſim; miſſis aliorum

ſenten-

ſententiis, ſubſcribere me potiſſimum profiteor Dogmati Lindeniano, Melet: P.3. §.60. expoſito; Quo Morbum *Spiritalē* eumq; *Similarem* ſeu *Materiaturæ*, ſpeciatim *Materiæ*, ſpecialius *infectionē Spiritus*, (puta animalis) immediatè poſt ſe Delirium trahere aſſerit. *Infectio* autem *Spiritus*, ut verbis citati Autoris me explicem, *eſt Tinctura Spiritus. Qvi mihi tinctus dicitur, quum rei ſe afficienti quo ad ſpeciem tantum ſibi aſſimilatus. Ea ſpecies ſi inducta brevi & levi erit, quaſi Fucatio eſt: Si altè deſcendit & diu ſedit, quaſi Coloratio eſt.*

§. VII. Nolo tamen litem ideò intendere illis, qui formalem Morbi, ad quem Delirium neceſſario ſequitur, rationem in *tumultuoſo & inordinatô Spirituum Animalium, Cerebrum inhabitantium, motu* conſiſtere docent. Uti faciunt *WILLIS l. ante cit. & Excell. Dn. D. BOHN* *Colleg. Pathol. MSS. Exercit. XXXII.* §.3. Placet enim, qvod & horum Autorum judicio Delirium Symptoma Morbi Spiritalis habeatur.

§. VIII. Ut jam innoteſcat *Subjectum* in Delirio affectum Spiritum ſtatuendum, eumq; Animalem. De cujus natura & indole ampliſſimum qvidem ſcribendi campum mihi aperiri ſentio, ſed brevitatis amore abſtineo; imprimis cum recentiorum aliqvot Scriptorum in hoc negotio ſatis operoſa opera ſit. Ex qvibus qvi Spiritum hunc ipſam Animam ſenſitivam aut partem ejus eſſe cenſent, calculum à me haud difficulter impetrant.

§. IX. Pro Spiritu autem cum Mentem ſubſtituunt, qvi Delirium Rationis depravationem eſſe volunt, non ſatis commodè facere id mihi videntur. Mens enim, illa Divinæ particula Auræ, uti immaterialis & inorganica eſt, ita nec lædi propriè, nec depravari poteſt. Certè per ſe

 altera-

alterabilis non eſt. Qvod ſi verò videtur munia ſua inconvenienter exercere, hoc fit propter malè comparatum Spiritum, tanqvam inſtrumentum. Hôc enim alteratô uſus Mentis impeditur. Nec qvicqvam mentis Operationes ſuſpendit, qvod non Spiritum afficiat. Atqve eapropter, qvi Mentis vulgo dicuntur morbi, Morbi proprie ſunt Spiritus; Qvi qvando malè diſponitur, malè ſervit illi. Non tamen quælibet Diſpoſitio facit illum inutilem Menti, ſed talis vel talis.

§. X. Notandum verò, non omnem Subjecti latitudinem explere nominatum Spiritum Animalem, ſed certum tantum illud, nempe proximum Morbi primarii, rectè haberi. Quamobrem juvat diſtinctius nonnihil hanc doctrinæ partem, quæ de Subjecto eſt, ſic proponere. Habet primo Delirium *Subjectum ut Quod* appellatum, quod aliàs *Repræſentativum* vocant; cujus rationem ſuſtinet quivis Æger Delirans, inq; Caſu ſupra poſito, ægra Ancilla. Eſt deinde *Subjectum* ut *Quo*, aliàs *ſubſtantivum* dictum; idemq; aliud *abſolutum* ſeu *Totale*, aliud *limitatum* ſeu *Partiale*. *Totale* Corpus eſt delirantis. *Partiale* iterum duplex: *Locus* & *Focus*. *Locus* ſeu *Pars affecta*, *aliis Subjectum adæquatum* & proximum, eſt *Spiritus Animalis*, de quo jam dictum. *Focus* vero ſeu latebra materiæ morbificæ, ſcatebra affectionis, nidus afficientis, atq; adeò ſedes ejus, ſuper quo fundatur & à quo continetur affectus, aliàs *Subjectum cauſale*, jam Cerebrum, jam Maſſa Sangvinea, jam uterus, jam ſita in hypochondriis Viſcera, jam Ventriculus, (uti in Caſu præmiſsò,) jam alia pars trium Ventrium eſt. Et reſpectu hujus ſubjecti Cauſalis diſtingvi vulgo Delirium ſolet in *Idiopathicum* & *Sympathicum*. Quorum *illud* dicitur, quando Cerebrum

brum Focum morbi ſuſtinet: *Hoc* verò cum cauſa Delirii ab alia parte fovetur. Cujusmodi proinde & illud appellandum erit, quod in Caſû occurrit.

§. XI. Hujus occaſione, etſi de Ventriculi conſtitutione naturali afferre h. l. aliqva fortaſſis non ἄτοπον foret, ſatius tamen arbitror Lectorem ad Celebriores noſtri ævi Anatomicos ac Phyſiologos remittere, quàm rem benè actam denuô agere: Lubet tantum paucis ἐυαισθησίαν hujus Viſceris attingere. Notatu quippe dignum eſt, nullam fere partem in corpore exquiſitiore ſenſu dotatam, quâm Ventriculum: Imprimis Orificium ſuperius, ſiniſtrum aliàs appellatum; quod levi de causâ acutiſſimum percipit dolorem. De quo in *præfamine* diximus, quod pro magnitudine ſuâ ipſius Cordis dolori comparetur. Et fit hoc, ceu ibidem dictum, propter nervos inſignes, qui circa latera orificii ſuperioris utrinque decurrunt, à ſextô, ſive, juxta recentiores, octavô pari Anatomicis ita nominatô, oriundi, atq; ubi in Ventriculum inſinuantur, multiplici ſuâ divaricatione quoddam qvaſi reticulum conſtituentes. Quam ob cauſam qvoq; (Prout ſimiliter indicatum eſt.) In Affectibus Ventriculi Caput facillime in conſenſum trahi poteſt; teſtaturq; præter alios id GALENUS in 1. *Aph.* 5. ubi commemorat hiſtoriam cujusdam adoleſcentis, qui ab humore æruginosô, os Ventriculi rodente, ſæpius Univerſali convulſione fuit correptus. Idem de V. S. adverſus Eraſiſtratum facit mentionem Diodori cujusdam, qui, cum diu jejunus manſiſſet, Stomachum doluit & convulſionibus inde fuit tentatus. Lubet deinde & hoc notare: quod jam pridem *BLASIUS* Delirii ex Ventriculo, ſed inflammato, orti, meminerit *Obſ. Med.* 21. quodve in plurimis

morbis complicatis, Delirium conjunctum habentibus, Ventriculum pro parte primariò affectâ habeant peritiores Medici. Ita in ipſis febribus malignis & Peſte ventriculum primariò affectum, res confeſſa eſt apud *BARTHOLINUM Cent.3. Epiſt. 42.* pariter apud *HELMONTIUM Tumul Peſtis* p. 843. 967 891. *DIEMERBROCK. de Peſte* L. 4. *hiſt.*15. Hinc tam in malignis quàm Peſte ipſa, ſi contagii ſuſcepti ſuſpicio ſit, initium curæ â Vomitoriò omnium Practicorum conſenſu inſtituitur.

§. XII. Sequitur nunc ordine αἰτιολογία. Hujus autem partem aliquam prælibavimus §. VI. quando infectionem Spiritus Animalis & ſpeciatim Fucationem ejus adduximus, veluti Morbum, cui facto, Delirium tanquam Symptoma ſuccedit. Nam ſymptomatum omnium cauſæ *GALENO* Morbi dicuntur. *L. de differentiis ſympt. c. 4.* Itaq; ſuper eſt tantùm, ut quibus modis & à quibus Spiritus infici i.e. tingi fucariq; poſſit & ſoleat, oſtendatur. Quod faciam, dummodo ante ſimilitudinem hic appoſuero, quam Cl. *LINDENIUS in Colleg. MSS. ad Praxin. Chymiatricam Hartm.* attulit; profuturū quippe plurimùm ad clariorem eorum intellectum, quæ ex Melematibus ἀκριβεστάτῳ Viri §. 6. de Fucatione & Coloratione Spiritus propoſui. Nempe, quemadmodum Lanam, inquit ille, duplici modo tingi contingit, vel quando adhuc nuda lana eſt, vel quando jam Pannus; ſed aliteri llâ, aliter hâc ratione: Lana enim cùm tingitur non texta, ſingulæ fibrillæ, inficiuntur, penitùsq; colorem imbibunt; Cùm vero texta & jam confectus pannus eſt non intimè ſubit Color, ſed ſuperficialiter tantum adhæret: poſſis hoc Fucationem, illud Colorationem appellare. Ita Spiritus cum rei ſe afficienti qvâ ſpeciem levi-

leviter ſaltem eſt aſſimilatus, quaſi Fucatus cum altiùs ea Species inſedit illi, quaſi Coloratus haberi poteſt. Quod ſimile, ſi cui nondum ſatis rem declaret, illùm velim intueri in ea quæ accidunt Iraſcentibus. Ira eſt ebullitio ſangvinis & commotio Spiritus. Nemo eſt, qui hoc non ſentiat. Illa verò ubi invaleſcit, quid fit? Nunquid ſenſus interni ita Concitantur ut omnia gemina videre videamur? Dicas hanc conſtitutionem Fucationem Spiritus, ſed Nonnaturalem. Si aliquid moleſtum nobis contingit, ſolet illud phataſma diu inhærere in Vindictam: Cumq; injuriam patimur, nunqvam non Imago illa in animo nobis verſatur, ut non poſſimus cogitare quicquam, ſine eâdem: Quid? quod ſomniantibus & Vigilantibus obverſetur. Dicas hanc conſtitutionem Colorationem Spiritus ſed Non naturalem. Et hinc intelligas qvid ſit Tinctura atq; ſpeciatim Fucatio ac Coloratio Spiritus præter naturalis.

§. XIII. Jam quod concernit res Spiritum ita afficientes, ut qua ſpeciem, ipſis leviter & breviter aſſimiletur; diverſas illas & potiſſimum duplices, nempe & intra corpus natas, & foris accedentes, Experientia monſtrat: Atque eas ipſas ferè, quæ validiore operatione Amentiam inducunt. Intra Corpus natæ ſunt Humores præter naturaliter ſe habentes, aliàs permixti Sangvini, alias â Maſſa Sangvinis ſeparati; præſertim ubi Orgaſmum concipiunt. Inde eſt ut in Febribus tàm intermittentibus quàm continuis, Variolis, Morbillis, imo ipſa Peſte Delirium frequentiſſimè occurrat: Quatenus nimirum particulæ malignæ & Veneno ſimiles in ſangvine commotæ, ſangvinemq; commoventes & ab eô Spiritibus Animalibus communicatæ, eos ſimiliter exagitant & in mo-

tus

tus Inordinatos deducunt, ſicq; ſpeciem iis ſimilem imprimunt. Spectat huc Exemplum Delirii, à fervore ſangvinis circa uterum concepto, oborti, quod recenſet *ZACUT. LUSIT. L. 2. Prax. Med. Admirandæ*, quando mentionem facit Virgunculæ, cujus uteri Deliramenta, Viri conſortiò conquievêre. Erat hæc ad Venerem proclivis & quæ ſolùm de amoris illecebris loqvebatur, frequenter loca pudoris, quorum attactu maximè gaudebat, ſcalpens, ubi uri ac prurire incipiebat. Virorum amplexu exardeſcens, irrigari humectariq; poſtulans, inexplebili cöeundi deſideriò tenebatur. Quô cum uti non liceret, ſubitò eam invaſere Delirium & alia formidanda ſymptomata; quæ, omnibus Medicamentis fruſtra adhibitis, ſpontè ceſſarunt, cum Virô juvene robuſtô officiò connubiali ſtrenuè perfungente locaretur.

§. XIV. Foris accedentes & peregrinam Spiritui Speciem inducentes Res ſunt Venena aliqua, quæq; horum Vim incautè adhibita æmulantur, Purgantia atq; Vomitoria. Sic de Hyoſcyamo teſtantur non pauci Scriptorum tàm Botanicorum quàm Pathologorum, quod inter cætera, quibus corpori officit incommoda phantaſiam turbet, & Ebriorum modò delirare faciat. Quod de ſemine Hyoſcyami ſpeciatim obſervavit *HELMONTIUS Tract. de jur. Duumviratus* §. 22. Uti refert, Cauſidicum quendam binas Drachmas ſeminis Hyoſcyami contuſas locô anethi quod in Colicâ præſcriptum erat, ſumpſiſſe & inde ſic deliraſſe, ut ne verbum intelligibile proferret. Pariter de Cicuta refert *KIRCHERUS in Scrutinio Peſtis*, Religioſos quosdam ex errore aſſumptæ Cicutæ anſeres ſe eſſe perſvaſos in aquam ſe præcipites dediſſe. *WILLISIUS de Anima Brutorum P. II. C. X.* §. *IV.*

tradit Virum fide dignum perinde ac Doctiſſimum ipſi narraſſe; ſe generoſi cujusdam ædes intraſſe, ubi Mater familias, Filiæ & Ancillæ omnes, unicâ exceptâ, ſimul Deliræ factæ, incongrua & abſurda loqventes & ſaltantes per domum diſcurebant: Cum illas lymphaticas ſuſpicaretur, didicit ex Puellâ, cui Mens & ratio conſtabat, totum illud à comeſtione radicum Paſtinacæ Sylveſtris, qvas ipſa tantum non guſtaverat, contigiſſe; id qvod etiam Eventus comprobavit. Nam poſtqvam delaſſatæ ſomno indulſerant, omnes ſobriæ evigilabant. Plura exempla poſſit qvis apud eos invenire Scriptores, qvi de variâ Venenorum operatione ſcripſerunt.

§. XV. Qvantum verò ad Catharctica; Ab intempeſtivè adhibitô ejusmodi Pharmacò fucati Spiritus obortiq; Delirii Exemplum ſiſtit Scomphus Pleuriticus apud Hipp. V. *Epidem. t. 1. 3.* qvi Pleuritide detentus mortuus eſt, ſeptimâ delirans. Verum Medicamentum biberat dejectorium, pridie ejus diei mentis compos & purgatus eſt non multa. Purgatus verô deliravit. Siſtit aliud ab illegitimâ inſtitutâ purgatione Delirantis Fæminæ exemplũ Ballonius *in Conſil. 1. 96* Novimus, inqvit, Mulierem, cui poſt phlebotomiam cum datum eſſet Medicamentum, ſeqventi die, qvin inane fuit Medicamentum & non potens ſatis ſtatim Delira facta eſt. Similiter Cl. Lindenius *Select. Med. p. 481.* mentionem facit Mulieris cujusdam poſt purgationem Delirantis. Mulier, inqvit, ex Tertianâ convaleſcens, & neſcio qvid cauſata, accipit à Medico Familiari infuſum Rhabarbari & Senæ, cum duabus Drachmis Diaphœnicon. ſeu Electuarii è Plamulis. Purgatur cito & copioſê, nec moleſtè tamen.

 Veſper-

Veſperaſcentte die ad os reficiendum Cappares ſumit ex oleô & acetô. Hinc mox ingentia Tormina, dejectiones plurimæ, inqvietudo ſumma, Delirium, Mors & illâ nocte. De Vomitorio autem extat obſerv. apud WILLIS. *l. 1.* ubi leges Puellam qvandam ab asſumptô Vomitoriô tamdiu delirâſſe, donec hoc vim ſuam exereret.

§. XVI. Nec Venena tamen cum Purgantibus & Vomitoriis omnem hic paginam abſolvunt. Cognitum qvin etiam per Practicorum Obſervationes, ab aſſumptis per Os, tum per inferius guttur admiſſis rebus, omni veneno-ſitatis, virtutisq; Catharcticæ aut Emeticæ ſuſpicione carentibus, idem qvod ab illis eveniſſe. Sic ex vino delirantes qvotidie Ebrios advertimus. Et extat apud RHODIUM Obſervatio de Delirio â Clyſtere ex vino & Aromatibus adhibito; Cui ſimilem habet BORELLUS, *Cent. 1. Obſ. 56.* Poſſemusq; pluribus facile exemplis confirmare hanc Theſin, niſi obſtaret brevitatis propoſitum.

§. XVII. Atq; ad hunc Cenſum ſpectat etiam Delirium, qvod Ægra in caſu exhibito experta eſt poſt Eſum Cucumerum, in qvo non tantum qvantitate Cibi, ſed & qvalitate peccavit. Etenim Cucumeres qvod attinet, de hiſce notari meretur qvod JOH. GVINTH. *de Medicina veteri & nova Comment. 2. Dial. 1. p. 11.* perhibet, inqviens. *Cucumeres non ſunt boni ſucci, niſi celeriter per alvum deſcenderint, in ipſo ventre corrumpuntur & in humorem, ferè lethalibus Venenis ſimilem, tranſeunt.* Hinc non abſimile, qvod HIPP. docet *lib. 2. de Victus ratione Cucumeres crudi frigidi ægreq; concoqvuntur.* Cui aſſentit ÆGINETA, qvando ſcribit: *Cucumis ægre concoqvitur & mali ſucci eſt, etiamſi concoqvatur.* Teſtanturqve Pra-

ctico-

ćticorum obſervationes pluribus Cucumeres multis obfuiſſe: Et ut unicum tantum exemplum afferam: Refert Fontanus *in Analectis* de qvôdam, qvi poſt uſum nimium Cucumerum, ſuperbibitâ Cerevifiâ frigidâ, Cholerâ correptus fuit, ut uno die 300. vicibus per Alvum ejiceret. Ut taceam Cucumeres ex genere Fructuum Horariorum eſſe, qvantum autem hi corpori proſint, in Diſputatione noſtra *de Febre Qvartanâ* pluribus demonſtravimus,

§. XIIX. Qvantum ad modum cauſandi, qvo hactenus recenſitæ res Spiritum inficiunt, cenſeo id fieri duplici modo: Qvatenus vel cum ſangvine particulæ heterogeneæ cerebri ſubſtantiam ſubeunt, ſicq; ſpiritus Animales afficiendô, Delirium cauſantur; vel qvatenus, Sangvine inſonte, dictæ particulæ ab extremitatibus nervorum cerebro communicatæ, Spiritus animales ibidem hoſpitantes, in Delirium cient.

§. XIX. Signa Delirii qvod attinet, paucis ea ſic expono. Eſt Ægris ſermo expeditior ſolentqve eſſe garruli ſive admodum prompti in loqvendo; Loqvacitas interdum impudentior, ſolitoqve audacior: Morum in ſignis mutatio: Sic impudica Loqvacitas in homine pudibundô, Deſipientiam indicat; Imò detegitur Delirium, rerum modo dictarum vel factarum repentina & extraordinariâ oblivione, per qvam Æger eadem verba ſæpius repetit, Orationisqve ſuæ non recordatur. Accedit indiciis verendorum denudatio, qvodve ſine ratione ſurgant, aut lectum immutare ſubinde velint. Ita apud Hipp. *Freqvens Screatus ſine neceſſitate Delirium* ſignificat. Qvod ipſum colligas ex Crepitu ab homine alioq; urbano coram iis, qvibus reverentiâ haberi debet, emiſſô. Ulteriora

ſigna ſunt Manuum geſticulatio, linteorum & operimentorum indecora nec neceſſaria collectio, Rarus & vehemens Spiritus, pulſus concitatus, oculi fulgidi & eorum freqvens notus. Unde HIPP. inqvit: *Si oculi crebriores habeant projectus, Inſaniæ ſpes eſt.* In capitis dolore offuſæ oculis tenebræ, ſomnus ereptus, continuatæqve nocte & die Vigiliæ, idem malum imminens arguunt, milleq; inconcinnitates aliæ in delirantium actionibus & ſermonibus obſervantur.

§. XX. Prognoſis jam videnda; In qvæ pariter brevis ero. Malum Certè Delirium qvodcunqve eſt, utut breviter leviterqve à rectô ægri declinent. Qvod per contrarium colligas ex illô HIPPOCRATIS: *In omni morbo Mente valere bonum.* Eſt tamen aliud aliô tutius. Qvam in rem juvat notare Differentiam Deliriorum, in ea, qvæ ridicula & qvæ ſtudioſa ſunt. Priora ſunt qvando ægri varia abſurda, minusque cohærentia loqvuntur, omnia autem hæc faciunt cum riſu. Poſterioris generis verò cum ferocia qvadã & iracundiâ eveniunt. Juvat ſimul tenere textum HIPPOCRATIS *aph. 53. ſ. VI.* dum ita ſentit: *Deliria cum riſu accidentia ſecuriora, cum ſtudio verò periculoſiora.* In ſpecie qvod ad Deliria Febribus conjuncta ſpectat; ſi qvidem ſimplicia illa fuerint, inter mittentibus Febribus ſupervenientia, ex ſe & per ſe parvi ſunt momenti: In febribus vero ardentibus malignis & Præſertim Petechialibus plus inportant.

§. XXI. Curam ſeqventi modô delineo. Curaturus Delirium, in eô ſit occupatus, ut Tinctura ſeu Fucatio Spiritui in pacta deleatur. Qvem ſcopum obtinebit, ſi intendat Ablationem materiæ tingentis ſive ſigillum peregrinum imprimentis. Hanc verò aſſeqvi licebit diverſis,

pro

pro diverſitate Foci, qvi vovet illam, Evacuationibus: Imprimis per Vomitoria, V. Sectiones & Sudorifera inſtitutis. Et Vomitoria qvidem qvod attinet, de his non dubitandum, qvin hac in parte utramqve paginam abſolvant: Cum tot proſtent obſervationes, qvæ ſolis illis in principio adhibitis Delirium ceſſiſſe teſtantur; ſicut Ægra noſtra idem teſtata fuit: Et exemplum Cauſidici, cujus ex HELMONTIO mentionem fecimus comprobat. Imo Delirium Melancholicum ſolô vomitoriô curatum teſtantur *Ephem. Germ. Ann. 3.* Nec minus ex philtro delirantes teſtes eſſe poſſunt, qvid Vomitoria in principio adhibita valeant. Memini militem Magdeburgenſem ante biennium à Meretrice qvâdam philtrum accepiſſe, paucisqve horis præterlapſis ſic inſaniviſſe ut fontem in areâ peteret & à robuſtis aliqvot Commilitonibus vix teneri poſſet. Cum a. ſuſpicio exhibiti philtri eſſet ſtatim exhibitum fuit ſat validum Vomitorium ex *Tart. Emetico*, poſt cujus operationem, nullô amplius adhibitô Medicamento, Delirium ceſſavit. Similem caſum refert D. D. ETTMULLERUS *in Colleg. Pract. MSS.* de juvene qvodam, qvem b. Dn. D. LANGIUS curavit. Nimirum hic pomum Citri dimidium à vetula Matrona accepit circa horam pomeridianam qvartam; hinc accidit, ut juvenis hac ipſa hora præciſe amore perdtô erga eam flagraret, nec qvieſcere poſſet, niſi qvotidie eam viſitaret. Huic datum Vomitorium ex ☿ vitæ. A qvô primâ vice nihil evomuit: Tertiâ vero die id repetitũ; Et ecce Æger horridam ſaburram materiæ fœtidiſſimæ rejecit, qvâ ejectâ ad ſanitatem rediit.

XXII. Sed ut inter Vomitoria ſelectum qvendam in

ſtituamus: Proſunt hic plurimum Antimonialia & ex his parata, *Tartarus Emeticus*, *Sapa Vomitoria Sylvii. Oxiſaccharum Emeticum Ludovici.* Imprimis autem nunqvam ſatis laudandus LINDENIUS *Colleg. MSS. ad Praxin. Chymiatricam Hartmanni*, commendat Elleboriſmum; qvò non tantum, qvi primum inſanire cœperunt, ſed ipſos Maniacos ſe curaſſe aſſerit. Modum autem præparandi docet talem. Rec. *Rad. Elleb. albi â* ℥ß ad. ℥j. Hanc coqvit in *Vino* donec molleſcat; poſt ubi Radix cocta, eximit eam, Vinum autem Decoctionis rejicit. Hanc Radicem ita præparatam novo Vino injicit, & ita per Noctem in loco calido relinqvit: Deniq: Vinum infuſionis exprimit, nunc levius nunc fortius, prout validum eſſe debet remediũ, viniq; huj9 ℥j propinat, qvæ ſufficienter operatur. Hoc Elleboriſmo laudatus Vir (uti *Colleg. cit. refert.*) curavit Franeqveræ Virum juvenem 26. annorum, qvi admodum inſanivit. Cujus Curationis ſucceſſum ipſe ſic deſcribit: Primâ vice cum accederem, inqvit, nihil potui efficere, Secundâ vice effeci ut ignarus hauriret Decoctum aut infuſum in vino Ellebori albi, modô ante, præſcriptô ad ℥j. Illâ purgabatur ἄνω & κάτω. Purgatio autem hæc ita illum laſſabat, ut plane mitis tanqvam ovis redderetur. Sic conſtitutô V. Sectionem adhibui & eduxi fermè Unc. XXX. Sangvinis, qvi non congrumeſcebat; feculentus, ater & horridus viſu erat. Laſſabatur ulterius, ut aliqvamdiu non inſaniret, nondum tamen mente conſtabat. Qvartô die Vomitorium ex Elleborô iterum dedi; Vomuit multa & varia æruginoſa, & neſcio qvæ. Ex hôc Vomitorio plane ſedabatur, & tunc conqverebatur de frigore. Rogatus an vellet tegi? Cubitum ivit. Cum

hoc

hoc viderem V. S. iterum adhibui & Sangvis erat melior. Tunc juſſi præparari bonum cibum, gallinam aſſam cum Endivia; & tertiâ vice dedi Vomitorium ex Elleb ℥ß. Iterum copioſiſſime vomuit: Nondum tamen Mens omninò conſtabat. Dedi Decoctum *rad. Polypodii Filicis & Scorzoneræ* cum herbarum *Endiviæ & Borraginis* magna qvantitate, & bonâ qvantitate *ſem. papaveris albi* paratum; cui ſub finem incoqvebatur *Radix Ellebor. nigri* ad ℥iij. Hôc Decoctô qvotidie ter vel qvater fuit purgatus; & ſic illum curavi. Similiter, addit, Matronam curavi, ſaltem bis repetitô Vomitoriò ex *Elleboro albo*.

§. XXII. Vomitoria excipit V. S. Imprimis ſi Delirium altiores egerit radices. Quantum autem hæc conducat, ex jam adductâ juvenis Franequerani hiſtoriâ percepimus. Nec minus prodeſt V. S. ſi ſuſpicio ſit ſubſecuturæ Maniæ. Quin imô teſtatur PLATERUS ſe longa obſervatione comperiſſe, innumeros ab aliis derelictos, ſangvinis miſſione ſanatos fuiſſe à quibusdam Chirurgis vel aliis, qui ex profeſsò hiſce malis ſanandis operam dabant; qui vigeſies vel ſexagies quoq; venas tundendo inſanos penitus ita reſtituerant, ut poſtea incolumes adhuc longam vitam vixerint.

§. XXIV. Tandem ſequuntur *Sudorifera*. Nunquam enim felicius curantur Deliri & Inſani quâm per Sudorifera, inquit, LINDENIUS noſter. Suggerit autem hujus generis varia fons Pharmaceuticus; ex quibus ſpeciatim *Antimonialia Sulphura fixa*, *Cinnabarina*, *Nitrata & Camphorata* conveniunt, ſemper Opiatis commodè temperanda. Lubet pauca ſaltem hujusmodi h. l. nominare, plura enim ex ipſis Practicis petenda. Nempe *Bezoard. Minerale* ſimplex & Martiale, *Antimonium Diaphoretic*-

pho-

phoreticum, *Cinnabarim tàm nativam quam Antimonii*; quæ aliis Diaphoreticis addita, eadem egregiè exaltat. Sic ex *Bezoard. Mineralis ſimpl.* v. g. p. ij cum Cinnab. p. j. fit optimum compoſitum, præſtantius *Bezoardico Solari.* Nec minus commodè jungitur Cinnabaris ipſis *Salibus volatilibus Animalium*, à quibus Color Cinnab. maximè exaltatur, ceu docen. pluribus Dn. D. *Ludovicus in Pharmacia Diſſert. 1. p. 351.* & Dn. D. ETTMULLERUS *in Diſcurſu Collegii* Ludoviciani.

Atq; hæc de Delirii ſimplicis Naturâ & curâ dicta ſufficiant. Tu L. B. tenui conatui fave, & ſicubi lapſus ſum, ignoſce.

S. D. G.

COROLLARIA.

I. *Vomitoria in Febribus malignis imo ipsâ Peſte adhibita ſummoperè proſunt.*

II. *Veſicatoria in Peſte ac ipſis Bubonibus peſtilentialibus applicata, multum valere per Experientiam mihi conſtat.*

III. *Peſte laborans minus contagioſus eſt, ſi evadat, qvam ſi moriatur. Imo ſi primus, qvi in domo aliqvâ Peſte infectus fuit. convaluit, neminem facile in ea Domo infectum fuiſſe, teſtis eſſe poſſum.*

IV. *Febricitantibus potum, ſpeciatim autem parum Vini permittere nolle, abſurdum.*

V. *In febribus malignis. Variolis & ipſa Peſte Vinum tutò adhiberi poteſt, dummodo cautè id fiat.*

VI. *Cinnabaris tàm nativa, qvàm Antimonii, corpori magnum uſum præſtat, etiamſi eâdem facie per alvum iterum egeratur.*